

communiter dicitur: omnibus enim versus facientibus hoc nomen est, sed tamen apud Graecos in unius notam cessit; Homerum intelligas, quum audieris poëtam. Quid ergo hoc est? Deus scilicet, major ac potentior cunctis. Tertium genus est eorum, quae proprie sunt: innumerabilia haec sunt, sed extra nostrum posita conspectum. Quae sunt, interrogas? propria Platonis supellex est. Ideas vocat, ex quibus omnia, quaecunque videmus, fiunt; et ad quas cuncta formantur. Hae immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere: exemplar picturae te habeo, e quo capit aliquem habitum mens, quem operi suo imponat. Ita illa quae me docet et instruit facies, a qua petitur imitatio, idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum: ad quae, quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habet εἶδος. Quid sit hoc εἶδος, attendas oportet: et Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem; nulla est autem sine difficultate subtilitas. Paulo ante pictoris imagine utebar. Ille, quum reddere Virgilium coloribus vellet, ipsum intuebatur: idea erat Virgilii facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, et operi suo imposuit, εἶδος est. Quid intersit, quaeris? alterum exemplar est, alterum forma ab exemplari sumta, et operi imposita; alterum artifex imitatur, alterum facit. Habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex statuam figuravit: haec idea est, Etiamnunc aliam desideras distinctionem? *Idos* in opere est: idea extra opus; nec tantum extra opus est, sed ante opus. Quintum genus est eorum, quae communiter sunt: haec incipiunt ad nos pertinere; hic sunt omnia, homines, pecora, res. Sextum genus eorum est, quae quasi sunt tanquam tempus. Quaecumque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quae esse proprie